



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Euangeliu[m] in die Parasceues Post h[æ]c rogauit Pilatum. Johannis 19.
Homilia vna

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

vincula quoque nostra dirumpe, peccatorum nostrorum
 flagra, ipsamq; adeo pro eis debitam pœnam adime, ut tan-
 dem læti & alacres appareamus in cōspectu tuo, tecumq;
 & cum omnibus sanctis tuis uiuamus in secula, Amen.

COLLECTA.

¶ Respice, quæsumus te omnipotens sempiterne de-
 us, super familiam hanc tuam oculis misericordiæ tuæ,
 pro qua dominus noster IESVS CHRISTVS non dubita-
 uit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormētum,
 Amen.

EVANGELIUM

IN DIE PARASCEVES,

*quod tamen nonnulli in uigilia Pa-**schæ dicere soliti sunt,**Iohan. XIX.*

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab
 Arimathia, eo quod esset discipulus Iesu, oc-
 cultus autem propter metum Iudæorum, ut tol-
 leret corpus IESV. Et permisit Pilatus. Venit
 ergo & tulit corpus IESV. Venit autem &
 Nicodemus, qui uenerat ad IESVM nocte pri-
 mum, ferens mixturam myrrhæ & aloes qua-
 si libras centum. Acceperunt autem corpus Ie-
 su, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus,
 sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco
 ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumen-
 tum nouum, in quo nondum quisquam positus

Matth. 27
 Marci. 15
 Lucæ. 23

Matth. 27
 Mar. 15
 Lucæ. 23

erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorū, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

- E**o erant in Christum odio exasperati Iudæi, ut de nulla omnino, tantum abest de honestiore, sepultura illius prouidere cogitarent. Et tamē impleri hic quoque oportebat istam de Christo prophetiam, Erit sepulchrum eius gloriosum. Excitauit itaque dominus deus cornobilis & principis uiri Ioseph ab Arimathia, qui & aliās uir pius erat, & Christi discipulus occultus. Qui cum uideret neminem esse in Ierusalem, qui sibi sepeliendi Christi prouinciam sumeret, ipse animosius accessit Pilatum, rogauitque dari sibi corpus Iesu. Arimathia autem, autore **Arimath.** Eusebio de nominibus Hebraicis, ciuitas fuit eademque **Eusebius.** patria Helchanæ & Samuelis, iuxta ciuitatem Diospolim: & illa aliās appellabatur Armatha Sophtim. Ioseph discipulus CHRISTI erat, & quamuis Theophylactus existimat eum unum fuisse ex septuagintaduobus, tamen communis sententia doctorum eò uergit, quod hic discipulus CHRISTI appelletur, quoniam in eum crediderit, fide scilicet, nō numero. Sic igit, ut satisfaceret prophetiæ, Christi sepulchrū esset gloriosum, uenerūt illi duo uiri nobiles & magni noīs, Christū sepulturi, Ioseph & Nicodemus: hic uero ille fuit, qui & princeps erat Iudæorum, & antea ad Christum uenerat noctu. Eundemque adeo Christi fuisse **Joh. 3.** discipulum, inquit beatus Augustinus, certo modo in reuelatione corporis beatissimi Stephani, ferē omnibus gentibus declaratur. facta autem illa est anno salutis quādringentesimo septimo, quando sanctus Gamaliel apparuit Luciano, ostendēs ei sepulchrum sancti Stephani, Nicodemi & Abibæ, ut sepelirentur honestius: quoniā deus per ariditatem & sterilitatem afflicturus mundum, decreuerat pro eorum intercessionem misericordiam illi exhibere. De **Augustin.** rosis illius uide Augustinum libro uicesimo secundo capitulo octauo, De ciuitate dei.
- ¶ Nobiles illi duo, qui sepeliendi Christi laborem suscipere non recusarunt, fidē rectam nōdū habebant, omnia de illo tanquam puro homine opinati, sed tamen amico

dei. Apostoli autē sepulturæ Christi interfuisse nusquam commemorantur (nisi forsitan Iohannes suscepta iā Mariæ cura, comitatus sit eandem) ne forte Iudæi illos in suspicionem furti de corpore Christi raperent. Duo illi autē, quamuis nō omnino timore carebant, quo nomine euāgelista alterum discipulum Christi occultum, alterum ad ipsum noctu uenisse commemorat, tamen paulo animosius libensque ad cruce[m] accesserunt, iram Iudæorum iam putātes esse sedatam, planeq; tam ignominiosa morte satiātam. Augustinus intelligendum hoc esse refert hoc modo, quod ille fiducia dignitatis id fecerit, qua præditus poterat familiariter intrare ad Pilatum.

Chrylost.

Chrylost.

Augustin.
li. 3. de con
sen. euā. c.

22.

¶ Tu uero hic feruentissimos expende dolores uirginis Mariæ, quæ iam filium suum conspiciatā demortuū, uidit deinceps miserabiliter adeo de cruce deponi. Vnde inter tot ærumnas, miserias atq; dolores non paruo illi fuit solatio adueniens à Pilato Ioseph, & denunciāns corpus sibi Christi esse donatum.

II. Attulit autem secum Nicodemus unguentū myrrha & aloë mixtum circiter libras centum. Vide hic Piccarde stupide, attende neochristiane furiose, & appende quisquis es, qui perire putas quicquid in mortuos confertur. Vtrique enim si honor ille funebris iniquus esset, Christus etiam nō tulisset hoc modo corpus suum inungi. Dicere ergo, Quorsum ista sumptuum funebriū perditio, uox est Iudæi, indignantis unguentū in corpus Christi impensum: clamantis quoq; uenundatum illud denarijs ductis, distribui debere pauperibus. Sed quid ad hæc euāgelista? Non sanè hoc locutus Iudas fuerat, quod pauperū cura habebat, sed quia sacculū seu loculos portabat & fur erat. Ita periculum graue est, ne similiter pleriq; faciant neochristiani, non amore pauperum, quos neque in minimo iuuant, sed ut sua inde infarciant marsupia, non attendentes illud decalogi, Non furaberis. Et ut maxime ipsi nullum inde lucrum reportent, tamen auaritiæ studio illud negligunt, ne & ipsi aliquid contribuere cogantur.

Matth. 26

Matth. 26

Impense
funebres.

Exodi. 20

¶ Doctores hoc loco causas tres commemorant, cur Ioseph & Nicodemus merito corpus Christi tanto honore & apparatu sepelierint.

Honor.

I. ¶ Quia corpus hoc nobilissimæ debebatur animæ, cuius organum etiam peculiare erat & instrumentum: debebat igitur illud uel saltem ratione nobilissimæ animæ magis honorari. ☉

Uenera
tio.Latria.
Damasce.

Johan. 12

Gene. 50

e. cōsul-
to,
de conse-
cration,
dist. 1

Augustin.

II. ¶ Quando corpus hoc ordinatum erat ad immensam illam & gloriosam resurrectionis charitatem, etiā dignū us erat ampliori ueneratiōe. III. Insup q̄q; unitū illud deitati seu essentiæ diuinæ, quoniā quicquid semel adsumpsit deus, nunquam dimisit: & sic idem ille honor ei debebatur, qui aliās proprie deo tribuitur, sub ratione summæ boni, sicuti fit in sacrificio missæ, quādo sacramētum adoramus, non ipsius in se corporis respectu, sed unitæ diuinitatis ratione. Quomodo Mariæ Magdalenæ post unctiōnem corporis sui dixit, Bonum opus operata est in me. Ne ergo corpus Christi putresceret, tanta diligentia adcuratum est à Ioseph & Nicodemo. Quod ipsum tamen exemplum Iudæi à patriarcha Ioseph sibi sumpsisse creduntur, quoniam & ille corpus patris sui Iacob iam iam defuncti, preciosissimis sinebat unguentis perungi, sicq; sepeliri, sicuti nobis Geneseos narrat historia.

III. ¶ Susceptum itaq; corpus Christi Ioseph & Nicodemus inuoluerunt linteo, ut Iohannes, siue ut Matthæus loquitur, sindoni. Hinc institutum à sanctis patribus est, corporale illud super quo sacerdos in missa corpus Christi cōficit, lineum esse debere, non ex Serico paratum. Sic Eusebius inquit: Consulto omnium statuimus, ut sacrificium altaris non in Serico panno aut in tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo uel linteo ab episcopo consecrato. Ex sequenti tamen capite colligere licet, non corpus tantū Christi linteo esse conuolutū, sed & caput sudario circumligatum, quod hic forte breui uerbo euangelista complexus est, quum ait: Sicut consuetudo est Iudæis sepelire. Vnde & nos docemur circa funebria sacra, quæ defunctis exhibemus, mores cuiuslibet seruare regionis, neq; nouum & insuetum alijs quicquam cōminisci. Videant hic & confundantur neochristiani, qui sanctorum piūm q̄q; morem sepeliendi mortuos, non per Germaniam tantum, sed toto Christianismo seruari solitum, abolerent, neque obseruare student, quum tamen Christus se-

peliri dedignatus non sit iuxta morem & consuetudinem Iudæorum. Equidem credo singulari quadam permissione dei id ita fieri, ut isti non sepeliantur cum patribus maioribusq; suis, hominibus pijs & uere catholicis: à quibus quando per omnem uitam in cultu dei, disciplina uitæ & omnium probitate degenerāt, quid reliquum putas, nisi ut tandem infeliciter mortui, sepultura etiam asini sepeliātur? Honestè & cum omni dignitate Christum sepelierunt Nicodemus & Ioseph: cumq; tempore urgeretur, eo quod uespere nihil licebat operari, nihil tamen omiserunt quod ad sepulchralem honorem faceret. Mortuus autem in cruce Christus hora nona fuerat, deinde uenientes satellites fregerunt crura latronum. Nicodemus & Ioseph petierunt à Pilato sibi dari corpus Iesu, deinde illud de cruce depositum ex more Iudæorum abluerunt. & quia imminens iam sabbatum urgebat, in proximo monumento sepelierunt, quāuis hoc modo omnia fieri, erat diuinitus institutum & ordinatum.

Sepultu
ra hereti
corum.

Jeremi. 22
Chrylost.

Cyillus.

V. ¶ Quam porro diligenter locum sepulturæ descripsit euangelista: primum enim fuisse ibi hortum dicit, & in horto monumentum nouum. Quod hortus ibi fuerit, eò refert, quoniam recursus nobis ad paradysum morte Christi sit præparatus, quem antea peccato amiseram⁹. Conueniens ergo, ut iam in cruce mortuus, sepeliretur in horto, cui suppliciorum omnium, mortis etiam & huius quoq; sepulturæ causa ex horto prouenerat, peccatū protoplasti: quamuis ille ipse hortus etiā ecclesiam designare potest, quoniam sic eam sponsus uocat: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Deinde non longe distabat sepulchrum hoc à loco quo crucifixus erat dominus, sicut hoc nobis fratres qui uiderunt, adnūciare solēt. uix em̄ pedes septingēti intererāt. Et q̄ sibi Ioseph sepulchrū in horto cōstruxerat, id q̄ factum est more Iudæorum, quō Amon quoq; rex & Oza monumentum suum in horto habuisse leguntur. Cur aut̄ ita i^o propinquo illū sepelierint, partim in causa esse potest imminens iam festiuitas, partim etiam ut facilius sic Maria & discipuli sequerentur, circumlustrantes undique cuncta quæ fiebant, siquidem deinceps quoque per

Cant. 4

4. Reg. 21

omnem vitam suam uirgo Maria circuiuit ibidem, quotidie loca sancta inuisens, ubi captus fuerat dominus, crucifixus, sepultus &c. Quod ipsum multi etiam boni homines adfectu pio isthuc peregrinantes, & uix demum magnis tum laboribus tum impensis peruenientes, factitarunt usque in hac miseranda tempora: quibus ut alia pleraque, ita hoc quoque opus sanctum neochristiani derident. Potest propinquitatis huius & illa reddi causa, ut sic facilius Iudaei custodirent monumentum, minusque discipulos suspectos haberent de sublato furtim corpore Christi.

Augustin.

V. ¶ Nouum insuper erat hoc sepulchrum, neque in eo quisquam adhuc positus erat: ut sicut in Mariae uirginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus erat, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepeliretur uel sepultus esset. Quamuis id quoque, ut alia, dispensatum est diuinitus, ut in nouo monumento sepeliretur, ne quis alium surrexisse arbitraretur. Sic praordinauerat dominus sapientia diuina, ut mors sua probaretur, & resurrectio similiter manifestaretur. Quamobrem etiam ante utrumque latronem mortuus fuerat, & post mortem permisit adhuc latus suum lancea aperiri, dehinc uoluit in monumentum nouum deponi, monumentum lapide ob signari, a uigilibus custodiri, ut sic angeli, apostoli, lapis, sepulchrum, ipsique adeo hostes sui, testimonium ei perhiberent de morte & resurrectione Christi. Et sane necessarium erat, ut euangelistae summa diligentia mortem Christi omnino certissime describerent. siquidem si in ea uel minimo dubitatum fuisset, quod tamen sic quoque in tam diligentissima & accuratissima mortis illius descriptione facere ausi sunt impii Manichaei, quae nam obsecro fides resurrectionis eius futura erat? Eodem pertinet, quod Paulus etiam in reliquis fidei nostrae regulis diligenter adeo & solícite mortuum esse Christum confirmauit. Monumenti porro nouitas, nouum etiam atque inauditum de morte ad uitam reditum significat. Quia enim antea non temporali tantum morte obstricti eramus, sed etiam sub graui mortis iugo & imperio detinebamur, non sine periculo mortis aeternae, tunc demum cum alter Adā Christus Iesus mortuus est, reformauit ille nos etiam in

Roma. 10.
1. Cor. 15.
Epist.

nouitate quadam mortis, quæ tamen somno quàm morti
similior sit, nec cuiquam bono metuenda: quoniam preci
osa iam in conspectu domini est mors sanctorum eius.

¶ Præterea nos illa monumēti nouitas docet, ut & ipsi
renouemur in Christo Iesu domino nostro: quomodo &
Paulus consepultos nos esse dicit. cum illo per baptismū
in morrem, ut sicut Christus resurrexit à morte per glo-
riam patris, & nos in nouitate uitæ ambulemus. Postre-
mo inopiam & egestatem CHRISTI hic consideremus,
quam etiam propter nos ille sustinuit. Ecce enim natus
iam iam hospitio carebat, lectum nullum habebat, in pre-
sepe tantum repositus est. Deinde per omnem uitæ suæ
decursum nec domum habuit, quam inhabitaret, neque
quicquam ubi caput reclinaret. Mortuus demum non tan-
tum linteo caruit cui inuolueretur, uerum etiam monu-
mento in quo poneretur. Caruissetq; ijs omnibus, nisi ita
disponente deo, omnia hæc sibi à pijs hominib⁹ essent ad-
ministrata. Quid quòd nudus etiam ex monumento re-
surrexit, derelictis in eo linteo simul & sudario, quibus
obuolutus fuerat? Et tu igitur cū hæc & huiusmodi alia
audis, cessa ab insana funeris impēsa. Quid enim sibi hoc
superfluum uult & inutile dispendium, quod ipsis qui fa-
ciunt plurimum adfert detrimenti, mortuis nullam utili-
tatem, uel damnum potius? Sepultura enim optima est,
uita bene & pie exacta. Et tamen uicissim nihil omnino
uelle impendere defunctis, neq; eis iusta persolvere, neq;
cum dignitate sepelire, quod nunc neochristiani facere
præsumunt, id sane legibus naturæ, canonibus sacris &
ciuili iuri repugnat, aduersaturq; consuetudini sanctæ ec-
clesiæ, cui & Paulus multum tribuit, & Augustinus in lib.
de cura pro mortuis agenda. Qua de re plura fortunante
deo, dicturi sumus in die commemorationis animarum.
Quoniam cum Christus post tam abominabilem & igno-
miniosam mortem crucis, tantis tum sumptibus tum ho-
noribus uoluit sepeliri, qua fronte reprehendere quisquā
auderet tanquam Christianis indignum, quod sibi Chri-
stus & uoluit impendi, & ab æterno fieri præordinauit?
Quid quòd eius sententiæ multi sunt, solum ex omnib⁹
apostolis Iohannem nullo suppliciorum genere ad mor-

Psal. 115

Theoph.

Roma. 6

Paupies
Christi.

Johan. 20.

Chrysost.

Augustin.

tem usq; excruciatum, eo quod Christum cum dignitate
 iuuerit sepeliri? Taceo quod Christus summo mane cū re
 surrexisset, prius Mariæ Magdalenaē ceterisq; uisus est mu
 lieribus quā Petro, quod illaē etiam mortuo honorem
 impēdere curārint, paratis in hoc preciosissimis quibusq;
 unguentis. Hoc quamuis uulgatum tacere non possum, q̄
 Christus ipsi etiam Iosepho apparuit: quem ideo capti
 uum tenuerant Iudæi, quoniam corpus domini à Pilato
 petum tanta cum dignitate in proprio suo monumen
 to sepeliisset. Et nos igitur charissimi in Christo fratres,
 dominum linteo inuoluamus conscientiaē bonæ, hoc prę
 cipue tam sancto tempore, Vngamus corpus dominicum
 unguentis pietatis & iustitiæ. Tegam⁹ & restituamus do
 minum in pauperibus suis, quibus etiā largius paulo nūc
 necessaria distribuamus. Sit animus noster sicut petra du
 rissima, in fide fortis & cōstans, in oibus opibus bonis per
 seuerans, ne sicut ad uomitū canis, ad uitia pristina recur
 ramus, sic cor nostrum hortus floridus domino nostro Ie
 su Christo, uarijs uirtutum omniumq; operum bonorum
 floribus consitus. Petram illam monumento Christi ad
 uoluamus, Christum ipsum nimirum, ipse enim petra so
 lida est, quæ ubi cor nostrum occluserit, tunc sane arcem
 illam habituri sumus inuincibilem, aduersus omnia uitia
 & pctā, contra ipsos etiā dæmones infernales. Hoc tibi sit
 in imo pectore semper situm consilium, statimq; ubi te
 diabolus in superbia tentare occeperit, instar primorum
 parentum, ut cæteros præ te contemnas, te unum alijs o
 mnibus præferas, mox hanc petram pectoris tui monu
 mento aduolue: recogira quomodo dominus ille & deus
 tuus, cum esset sanctissimus & omnium altissimus, sit hu
 miliatus, cæloq; demissus ab alto, etiam discipulorū laue
 rit pedes, traditus, captus, uinctus, illusus, cōsputus, cæsus
 quoq; flagris, & ad extremum morte turpissima sit con
 demnatus. Quod si porro te diabolus lepra titillet libidi
 nis, eandem hanc petram cordi tuo admoue: uide & ex
 pende, quomodo Christus corpus suum castigārit, seq;
 ipsum uigilijs, inedia & laboribus emacerārit: tandemq;
 post uirgas, spinas & flagella in durissimo lectulo crucis
 emisserit spiritum suum. Ad eundem modum si & nos cor

1. Corin. 10

Gene. 3.

pora membraq; nostra castigauerimus, & nosmet in ieiunijs, abſtinentia, uigilijs, atq; laboribus exercuerimus, nſtillam quarentes carnis uoluptatem, nec illecebras peccatorum, facile huiusmodi euitabimus uitia. Cæterum, ſi conſon inuiſum morbi genus intima carpit uiscera, hoc eſt, ſi inuidia idipſum exiſtens animo, qd eſt colica corpori, rodit interiora mentis, age & tunc petram hanc aspice **Serenus,** Chriſtum, qui pro crucifixoribus etiam ſuis rogauit deũ, **Luce. 23.** dicens: Pater, ignoſce illis, ſimiliter latroni tantum petenti, ut ſui aliquando meminisset, promiſit paradifum. Sed neq; tot ægritudinibus contentus eſt diabolus, inſuper etiam hydropiſim tibi intentat auaritiæ. eſt enim hæc illi modis omnibus ſimilima. Et tunc ſane monumento cordis tui petram aduolue Chriſtum: & uidebis ſubito re **Apoc. 19** gem regum, diſtiſſimum illum omnium, cuius etiam orbis terrarum eſt & plenitudo eius, in ſua ſtatim natiuitate **ſalut. 23.** fuiſſe pauperrimum, hoſpitio quo exciperetur caruiſſe, **Luce. 2** tãtumq; in præſepe reſoſitum: deinde in tota uita ſua ſic **Matth. 8.** eguiſſe, ut nec domũ neq; quicquã quo caput inclinaret, habuerit. Iamq; moriturum illum, partitiſ inter ſeruos p̄ ſidis ueſtimentis ſuis, nudum omnino ex hoc mundo exceſſiſſe: atq; ſic mortuum, proprio etiam ſepulchro caruiſſe. Quã autem pauper factus eſt propter hominem, tã rurfus liberalis, & munificus in ſuo teſtamento extitit. pacem enim & charitatem diſcipulis teſtamento reliquit, perſecutionem apoſtoliſ, militariſ ſeruiſ ueſtimenta, corpus Iudæiſ, matrem chariſſimam Iohanni, latroni paradifum, ſpiritum ſuum patri cæleſti, ſe deniq; totum ueluti perpetuũ quoddã **μνημόσυνον** & memoriale reliquit eccleſiæ. Merito itaq; fratres in Chriſto dilectiſſimi, ab oĩ uitiõũ genere nobiſ cauentes, omnẽ porro ſpẽ & fidutiã noſtrũ, omne gaudiũ, cogitatiões deniq; cunãtas reponemus in dño noſtro Ieſu Chriſto. Et ille uiciffim gratiã nobiſ conferet in præſenti uita, non negaturus etiã futuriſ reſurrectioniſ gloriã & felicitatẽ æternã. Quam omnib; nobiſ clemẽter cõcedere digneſ deus p̄f, deus filius, deus ſpiritus ſanãtus. Amen.

FINIS Tomi huius primi homiliae: de tempore, ab
aduẽtu uſq; in diẽ reſurrectioniſ dominicæ.
SOLI DEO GLORIA.

Henricus datus
Henricus datus

Henricus datus

Henricus datus in datus
sibi datus datus

Henricus datus

Per Petrus Laurentius
Scripsit 12.60 in quinta parte
scribat

Deo datus datus datus
Ho
exat seminare 302